



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De virtute aetateque ducentorum quinquaginta episcoporum. Cap. IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**



## EVSEBII DE VITA

*De virtute et aetate ducentorum quinquaginta episcoporum. CAP. IX.*

**S**ed in hoc praesenti choro fuit Episcoporum multitudo, ad numerum ducentorum quinquaginta & amplius: praesbyterorum autem, diaconorum, acolothorum, & aliorum qui istos comitabantur turba, ne enumerari quidem potest. Atque ex his Dei ministris, alii prudenter & disertè dicendo, alii vitae gravitate, & constanti rerum arduarum perpessione, nonnulli quasi media inter istos interiecta viuendi consuetudine eximii, praecleara laudis insignia adepti sunt. Erant inter hos etiam non pauci, qui propter longinquum temporis spatium, quo vixerant, multum honorati fuerunt: multi, qui in ipso aetatis flore propter ingeniorum acumen, magnum splendorem sunt consecuti. Quidam modo in ministerii quasi cursum ingressi. Quibus quidem omnibus cibaria in singulos dies imperator large & liberaliter suppeditari mandauit.

*Consilium in palatio celebratur, quo Constantinus ingressus una cum episcopis confidebat.*

CAP. X.

**D**e autem concilio, quo res in controuersiam vocata dirimerentur, praestituta, singuli parati erant in ipsa media regalis palatii aula, quae amplitudine caeteris facile praestabat, illud celebraturi: ac compluribus sedibus in utroque aulae latere, ordine dispositis, qui erant accersiti, intus praesto fuerunt: & sedem, quae quenque decebat, capiebat quisque. Atque cum vniuersus ministrorum Dei conuentus decenti ordine collocatus esset, propter imperatoris aduentum, qui iam erat in expectatione, omnibus fuit silentium. Ac primum vnus ex principis familia, deinde alter ac tertius ingreditur. Imperatorem antecedunt alii, non ex armatis & satellitibus, qui ei adesse consueuissent, sed ex amicis solum, qui Christi fidem amplexarentur. Signo vero dato, quod imperatoris introitum